Illustri Viro
Io. Iacobo Mascovio,
Patrono aetatem colendo,
S. P. D.
Carolus Andreas Bel.

Est hoc singulare prorsus benignitatis TVAE documentum, quod et inter negotia TVA publica, quae Te a nobis aliquantum auocarunt, Belii TVI meministi, VIR CELEBERRIME, eique viam, ad impetrandum Celeberrimi Maypergeri patrocinium sternere, non dedigneris. Accipis jam, quae imperasti, commentationis meae de Maria, exempla aliquot, quorum unum, cui et Orationem meam, Augustissimae Reginae connubio Altdorfii dictam, addidi, Magnifico Maypergero destinatum est. Non equidem sustinerem, Te interpretem, meae, erga Summum Virum, venerationis compellare, nisi ipsa illa TVA, jam experta mihi humanitas, me, id ut facerem, provocasset. Vergis Tu ita, VENERANDVM CAPVT, bene mereri de homine, cui, nisi TVVM patrocinium contigisset, dubito, an felicitati fuisset consultum

Iube, impera, qua via incedendum, sequar nutum TVVM, i.e. enim si fecero, scio, exoptatos conatuum successus, defuturos numquam. Quod ad Thraces meos attinet, lambo, quae sunt in promtu; neque tamen ita videntur expedita, vt audeam cum iis cathedram conscendere; vtque adeo nonnisi penitus illustrata publico exhibere velim. Habeo quaedam, de Hungariae cum Germania nexu; alia, de delectu ingeniorum Pythagorico, vt possim, quamprimum redieris, reuisa aliquantum, Decano Philosophici ordinis exhibere. Huc et Patris mei consilia spectant, qui expediti quid disserendum, multum et seuere suadet. Stabo tamen consiliis TVIS, VIR SVMME, quae apud me pro ratione sunt. Vale, VIR ILLVSTRIS, me ama, et ab Illustrissimo Festetichio meo, salue. Lipsiae. MDCCXCII. III. Kal. Iul.